

*Chronol. Vol. 1.* 31  
10  
Discusſio Biblico-Hiſtorica  
DE

EPOCHA ANNO-  
RUM GRÆCORUM, QUO-  
RUM MENTIO FIT IN LIBRIS  
MACCABÆORUM.

QUALIS ILLA SIT, ET QUO  
TEMPORE COEPERIT

*Quam*

Ad placidam colloquutionem publicè  
proponit

JOHANNES BEHM S. S.

Theol. D. ejusdem P. P. & primarius, in Academia  
Borusiaca Aulæ Brandenburgico-Prutenicæ  
Concionator, Sambiensis Consistorii  
Assessor & Senior.

*Respondente*

HENRICO Harder

Flensb. Hofratho

*Ad diem Julii*

In Auditorio majori

---

REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REUSNERI,  
Anno MDC LXI.

*Chronol.*

*51, 80*

Dictionario Biblico-Historico

DE

EPOCHAE ANNO-

RUM GRAECORUM QVO

RUM MENTIO FIT IN LIBRIS

MACCABAEORUM

QUALIS ILA SIT ET QVO

TEMPORE COEPIERIT

Scilicet

Ab placidam editionem publicis

proprietate

JOHANNES BEHM SS

Theol. Doctor P. & primarius in Academia

Dorostolicae et in andeburgen-Prutenicae

Concionator, tametsi in Consistorio

Archid. Senior

Resident

HENRICO

Temp. Hostato

de curia & fine

In Augustino Majori

REVOCATA

Typis JOHANNIS REUSNERII

anno MDC LXX

Σὺν Θεῷ

## T E S I S I.

**I**N Historiæ tum Biblicæ, tum profanæ lecti-  
one variæ reperiuntur Epochæ, quarum naturam,  
ut & terminum tum A QUO, tum AD QUEM,  
mutuam item & exactam earundem inter se concate-  
nationem Chronologia Chronologicè separat, Astro-  
nomicè examinat, & Chronologica vincula necit.  
Habet enim Historia duos quasi oculos, dextrum,  
Chronologiam; sinistrum, Topographiam.

II. Vox autem ἐποχὴ varia habet significata 1. in  
genere significat inhibitionem, retentionem, repressi-  
onem, ab ἐπέχω inhibeo, reprimo, differo, 2. notat su-  
spensionem assensionis in dubiâ aliquâ sententiâ. 3.  
Græci ἐποχὴν τῶν ἐμμήνων nominant retentionem mulie-  
brium mensium. 4. Astronomi ἐποχὰς nominant gra-  
dus, in quibus deprehenduntur signa & Planetæ in  
Zodiaco, cujus unaquæq; pars in 30. gradus distribu-  
itur. Item cœli statum in thematibus, positumq; si-  
derum. Quàdè legatur Cælius Rhodiginus lib. 1.  
Antiqv: lectionum c. 16.

III. In Chronologicis vox ἐποχὴ I. notat recur-  
sum & revolutionem anni in idem principium.  
Hanc revolutionem Judæi vocant תקופה Exod. 34,  
22. Item תשובה reversionem 2. Sam. II, 1. I. Reg.  
20. v. 22, 26. 1. Chron: 20. v. 1. 2. Chron. 36, 10.  
2. Mensuram multorum annorum ab uno intervallo

A 2

ad

ad aliud. Ea intervalla nominantur *ἐποχαι*, quod in illis sistantur quasi & terminentur mensuræ temporum. Censorinus optimus Antiquitatis vindex in aureo suo ad Q. Cærellium libello ea intervalla nominat *titulos* seu *indices*: alii *hypotheses* v. c. Intervallum à conditu mundi ad universale mundi diluvium nominatur *Epocha*. Intervallum ab universali diluvio ad natum Patriarcham Abrahamum &c: Intervallum ab initio Olympiadum ad annos urbis & Nabonassareos & ita in aliis. 3. In specie verò vox *Epocha* sumitur pro termino *A QUO* seu principio intervallorum, ut *Epocha à Mundo*, à Diluvio, ab exitu Israelitarum ex Ægypto.

IV. Hi termini distinctè sumuntur I. Vel ab insigni & notabili aliquo eventu vel casu v. c. à mundi primordio; ab universali cataclysmo; à primo adventu Abrahami Patriarchæ in terram promissionis; ab Exodo; à capta Troja; ab initio structuræ Salomonici templi; ab ejusdem templi exterminio; ab Urbis palilibus; à deducta colonia &c. 2. Vel ab initio Illustrum Regum & Principum, ut anni Nabonassarei à Nabonassaro Chaldæorum Rege; Anni Philippici à Philippo Aridæo Al. Magni fratre; anni Juliani à Julio Cæsare primo Romanorum Imperatore; Anni Diocletiani à Diocletiano, Anni Alphonsini ab Alphonso Hispaniarum Rege. 3. Vel à religionis & Ceremoniarum instituto ut anni olympiadi Iphitei, Agones Capitolini &c;

V. Inter varias verò *Epochas* & in Biblica & profana historia usitatas, est *Epocha Alexandrea* famosa satis & celebris tum in libris Maccabæorum, tum apud Josephum, tum Ecclesiasticos scriptores, ut infra monebitur.

nebitur. Habet autem hæc Epochæ varias appellati-  
ones 1. Prior liber Maccabæorum hanc Epocham vo-  
cat βασιλείαν τῶν ἐλληνῶν cap. I, II. eò quod unus ex Græ-  
cis ducibus Alexandri Magni *Seleucus* post Al: mor-  
tem Asiaticum diadema suo capiti imposuit. Testis  
enim est prior Maccabæorum, Josephus, aliq; Histori-  
ci, Alexandrum Magnum adhuc viventem suis belli-  
ducibus administrationem diffusæ sui regni concessisse.

VI. Hic Alexander est *hircus* ille, quem Daniel  
cap. 8. in visione vidit pugnantem cum *ariete bicorni*  
*Dario ultimo Persarum & Medorum Rege* v. 20. Hic hir-  
cus villosus habuit magnum cornu interjectum oculis  
ejus. Hoc cornu *Rex Javan* primus v. 21. fuit ipse  
Al. Magnus Orbis Dominator. Hoc cornu fracto (id  
est mortuo Alex:) *Quatuor* cornua (Regna) de illa  
gente exsurrexerunt v. 22. Hæc 4. regna notabiliora  
fuerunt 1. Græcorū vel Macedonicum 2. Ægyptiacum  
seu Ptolemæorum 3. Syriacum seu Seleucidarum 4. Asi-  
aticum in Lycia, Pamphilia, Phrygia, Caria, Lydia &c.

VII. Inter hæc quatuor regna, post Alex: mortem  
exorta in Sacris & Josepho sunt notabiliora duo regna  
*Ægyptiacū & Syriacū* propter gravissima, quæ inter se gesse-  
runt, bella & miserimā Judæorū afflictionē tēpore præ-  
sertim Antiochi Epiphanis regis Syriæ, qui templū Hi-  
erosolymitanum impiè profanavit, & βδέλυγμα ἐρημώσεως  
extruxit anno Græcorū 145. I. Maccab. I. v. 57. Hic Antio-  
ch<sup>9</sup> ἀμαρτωλὸς ῥίσα regnare cæpit anno Græcorū 137. v. II.  
Regnavit per annos 12. Mortuus est anno Græcorum  
149. cap. 6, 16, periit pessima morte 2. Maccabæor. 9.

VIII. Hæc Græcorum Epochæ 2. Vocatur Æra  
Regni Seleucidarum à Seleucō, qui recuperatā tandem  
post multa prælia Babylone & Media regnam Syriæ  
obtinuit, suoq; capiti Asiæ diadema imposuit anno 12.  
post

post mortem Al Magni teste Josepho lib. 12. c. 7. An-  
tiquitatum, & Eusebio lib. 8. ἀποδείξεις εὐαγγελικῆς ἀπίδει-  
ξαι β. Codomannus quidem hanc Epocham statim  
incipit à morte Al Magni, verum ipsum graviter in eo  
errasse suo loco invictis argumentis probabitur.

IX. Hæc Epochæ 3. A Chaldæo-Syris seu Judæ-  
is olim nominata est מנין שטרות *Epocha contractuum*.  
Est enim שטר instrumentum publicum, cautio, libel-  
lus, scheda, Literæ, contractus, Chirographum. Fin-  
gunt enim Judæi, Alexandrum Magnum, cum Hiero-  
solymam veniret, anno 42. templi extructi à Judæis  
duo petiisse & obtinuisse. Prius ut omnes masculi,  
qui eo anno nascerentur sacerdotibus, appellarentur  
Alexandri juxta ipsius nomen. Posterius ut incipe-  
rent numerare, seu supputare ab illo anno ab initio Oc-  
tobris vel à mense Tisri tanquam ab initio regni A-  
lexandri. Verum hæc Judæorum sunt figmenta. Hæc  
enim Epochæ demum cæpit 12. annis post Alexandri  
Magni mortem, ut modò dictum,

X. 4. Communiter hæc æra vocatur *Alexandrea*,  
quia in honorem Alexandri Magni instituta, quan-  
quam 12. annis demum post mortem Alexandri Ma-  
gni initium sumserit. Ita Epochæ annorum Philippi  
& Philippicæ cæpit statim ab obitu Alexandri Magni,  
& tamen in honorem Philippi parentis Alexandri  
Magni instituta est, ut Scaliger vult. Quanquam sim-  
plicior & verosimilior eorum est opinio, qui sentiunt,  
hanc Epocham *Philippeam* nomen accepisse à Philip-  
po Aridæo Alexandri Magni fratre. Testes enim  
sunt Historici ferè omnes Diodorus, Plutarchus, Ju-  
stinus, Curtius & alii, post Alexandri Magni mortem  
consensu Macedonum Aridæum ad Macedonicum  
regnum

regnum provecum esse, & Philippi nomine consalu-  
tum. Ita Georgius Monachus in M. I. codice τὸ πρῶ-  
τον ἐστὶ Φιλίππου τῆς Ἀριδαίας, τὸ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα  
βασιλείοντος Μακεδόνων commemorat. Videatur Peta-  
vius lib. 10. de differentia temporum c. 38. Sanè in Mathematico Ptolemæi Canone post Alexan-  
dram Magnum locatur *Philippus Aridaeus*.

XI. 5. A Syris & Arabibus Epocha Alexandria  
vocatur עֲפֹכָה דְּאַרְיָרְנַיִם ἐποχή τῆς δικέρωτος קריש est clau-  
sura, septum, vectis, Epocha, temporis sepimentum.  
N usurpatur pro ה Article emphatico, sed à Chaldæ-  
is, & Syris in fine; Ab Arabibus verò in principio,  
idq; vel solùm, vel cum ה Itaq; ארמך & ארמך Rex ille.  
Itaq; ארמך Calendarium, Ephemerides. ה litera a-  
pud Chaldæos, Syros, Arabes est nota Genitivi casus.  
הנך ergo Pronomen Genitivi casus est. קריש splendo-  
rem notat Exod: 34, 29. item Cornu. Therik ergo  
Dilcarnaim est Epocha illius bicornis, id est, *Alexandri Ma-  
gni*. Nominatus autem est Alexander Magnus bicor-  
nis, vel à victoria obtenta de Persarum Rege quem Da-  
niel cap. 8. in visione ut arietem bicornem propter du-  
plex regnum Medice & Persidis vidit, quæq; visio  
Alexandro in Hierosolymæ ingressu à Judæis ut & a-  
lia multa ostensa, teste Josepho lib. II. cap. 8. ἀρχαιολογίας:  
vel à sculpturâ. In antiquis namq; numismatibus ef-  
figies imberbis Regis, id est, Alexandri juvenis arieti-  
nis cornibus exsculpta, ad effigiem Jovis Hammonii  
cornuti & barbati, cujus filius credi voluit. Quâ de re  
videatur Scaliger lib. 5. de T. E. p. 400. & seq; Petavius  
lib. 10. de D. T. c. 40.

XII. 6. Nonnulli volunt hanc Epocham etiam vo-  
cari κατά χαιδαιών apud Ptolemæum lib. 9. μέγ: σιντα  
c. 7. ἴτεται

c. 7. item lib. II. c. 7. Verum hæc Ptolemæi Epochæ uno anno minor est Alexandræ veræ. Ptolemæus enim annum 67. æræ Chaldaicæ connectit cum 504. Nabonassareo (male in Latino exemplari legitur 564. quæ vitiositas impressionis ex Græco corrigenda est) 75. Chaldaicum colligavit cum 512 Nabonassareo. Primus verò Alexandreus cum 436. ut infra patebit. De hac Ptolemaica κατὰ χαλδαίων Epochæ videatur Scaliger lib. 5. de T. E. p. 405. & seq.

XIII. De Autore verò hujus Epochæ ex Historia nil certi constat. Scaliger vult Calippum hujus Epochæ Autorem esse, ita & nos olim opinati sumus. Verum probabilius est à Græcis & aliis Syriâ & Asiam. tum incolentibus hanc Epocham fundatâ esse ab eo tempore, quo post diuturna & difficilia prælia *Seleucus Nicator* paucissimis equitibus comitatus Babylonē ingressus, est & a Babyloniis ultrò receptus quod olim per quadriennium ipsis humanissime præfuisse. Inde Mediæ præfectum noctu in castris obrutum vicit, & Mediam Sufianamq; regionem Babylonicæ suæ ditioni adjecit. Eo ipso adeptus est βασιλικὸν ἀνάστημα, καὶ δόξαν ἀξίαν ἡγεμονίας teste Diodoro Siculo lib. 19. Ab hac Babylonicæ regni adeptione & fundatione Asiatici & Babylonicæ novam Epocham fixerunt, inq; Seleuci honorem Epocham *Seleucidarum* nominarunt. Factum id est anno 12. à morte Alexandri Magni, Anno 19. primæ Calippicæ periodi, Anno 1. Olymp. 117. Cyclo Sol. 6. Lunæ 13.

XIV. Hac Epochæ utuntur duo libri Maccabæorum, in quorum lectione id notandum, priorem librum à *Perse* hujus Epochæ annos incipere; seu à *Nisan*; posteriorem à *Tisri*, seu ab autumno 1. Maccab. 7, 1. An-



Anno Græcorum 151. Demetrius Româ fugit. Eodem anno Adar 13. Bachides victus est vers 43. 49. Nisan sequens inchoat annum 152. Græcorum cap. 9. 3. Et cap. 16, 14. mensis Schebath nominatur undecimus à Nisan. Ita Alexander Antiochi Nobilis filius Ptolemaidem occupat anno 160. Græcorum 1. Maccab. 10, 1. Eodem anno in die solenni Scenopegia Jonathas accepto Pontificatu sanctâ stola indutus est v. 21. Nulla ergo anni mutatio facta est in mense Tisri. Ita interfecto Jonatha hiemis tempore cum multum nixisset 1. Maccab. 13. v. 22. 23 Simon summo sacerdotio potitus est anno Græcorum 170. v. 21. Postea mense secundo id est, Iar numeratus est annus 171. v. 51. Coepit ergo annus 170. à Nisan.

XV. Quod autem prior liber 6. mensibus posteriorem antevertat, id inde colligitur. Anno 150. Græcorum verno æstivoq; tempore quando Eupator Hierosolymam obsedit, currebat annus Sabbathicus 1. Maccab. 6. v. 20, 53 qui coepit ab antecedente Tisri anno 149 Sabbathicus autem iste annus coepit anno periodi Julianæ 4550. anno Judaiei computi 3598. qui per 7. divisi nihil relinquunt. Atqui non potest idem Sabbathicus cum anno 150 prioris Epochæ à Nisan progredientis, & 149 à Tisri ineuntis alterius congruere, nisi posterior hic annus 149 ab eo Tisri coeperit, à quo & Sabbathicus, sex videlicet mensibus ante Nisan 150. anni prioris Epochæ. Anni igitur Græcorum prioris libri ab eo Nisan incipiunt, qui Tisri antecedit, à quo anni libri posterioris ducunt initium. Prior ergo Epochæ 6. mensibus prior altera.

XVI. Hujus observationis aliud exemplum producimus. Anno Græcorum 177. mense II. qui est Schebat occisus est Simon 1. Maccab. 16. v. 14. 16. ejus filius Johannes statim obsidet Ptolemæum parentis interfecto-

B

fecto-

fectorem. Erat annus Sabbathicus, teste Josepho l 13. cap. 15. Hic ergo Sabbathicus annus ab antecedente Tisri coepit post initium anni 177. sex evolutis mensibus. Est autem annorum qui in libro secundo memorantur numerus uno minor, quam eorum, qui in lib. I. computantur. Unde cum Sabbathicus ille annus mense II. anni Græcorum 177. libri primi perseveraverit, annus 178. qui à Nisan incipiens in Sabbathicum incurrit. Quare annus posterioris æræ 177. cum illo componi, & in eundem Sabbathicum conferri debet. Hoc verò nullâ aliâ ratione fieri potest, quàm si annum 177. Secundi libri à Tisri Sabbathum coepisse dicamus. Hinc iterum videre est annos Græcorum posterioris libri 6 mensibus evolutis ab annorum prioris libri Epochâ procedere. Id quod cum diligentia notandū.

XVII. Scaliger ex mutua collatione duorum librorum Maccabæorum hunc nodum proponit citatis supra locis. Antiochus Eupator pacem fecit cum Judæis anno Græcorum 150. I. Maccab: 6, v. 20. 60. Verum in posteriore libro cap. II. v. 21, 33. scribitur id factum esse anno 148. Ad hunc nodum Scaliger hæc addit: *Quis Oedipus hæc solverit. Itaq; bene de illo autore meruerit, qui illam à suspitione erroris vindicaverit.* Petavius lib. 10 c. 43. hunc nodum solvit, scribens, bis ab Antiocho & Lyfia pacem cum Judæis esse compositam, id ita probare conatur. Antiochus Epiphanes in Persidem proficiscens Lyfiam Syriæ ac reliqui regni sui provinciis ab Euphrate ad Ægyptum usq; præfecit I. Maccab: 3, v. 32. Cui & Antiochum Eupatorem filium suum nutriendum commisit v. 33. anno Græcorum 147. v. 37. Lyfias cum Judæis primum per Duces, quos sibi adjunxerat, tum per se ipse conflixit, secunda semper  
Judæ-

30.

Judæorum fortunâ, à quibus postremò Lyfias insigni prælio superatus est. Hæc describuntur in priore Maccab. cap. 3, 4, 5, 6. in posteriore cap. 8, 9, 10, 11.

XIIX. Hæc Lyfiæ clades contigit adhuc superstite Antiocho Epiphane, qui hac audita, vehementer commotus in mortem incidit 1. Maccab: 6. v. 5. & seqv: Lyfias porrò de pace cum Judæis agere cœpit. Testatur hoc Epistola, quam ad illos scripsit, quæ data dicitur anno 148. mensis Dioscori die 24. 2. Maccab. c. 11. à v. 16. & seq. Quis sit ille mensis certò sciri non potest. Fuit hic annus utriusq; Epochæ 148. ante Nisan, à quo cœpit annus 149. Græcorum in priore Maccabæorum, quo anno Antiochus Epiphanes mortuus 1. Maccab. 6, 16. labente adhuc anno 148. in posteriore Maccabæorum ad Tisri usq;. Lyfias audito Epiphanis obitu Antiochum Eupatorem ejus filium alumnumq; suum in imperium evexit, qui in Syria tum erat 1. Maccab: 6, 17. à quo & duas Epistolas expressit, quibus Judæos in integrum restitui juberet. Prior ad Lyfiam ipsum, posterior ad Judæos data dicitur 2. Maccab. 11. subscriptaq; est dies 15. Xanthici, v. 33. Is est Nisan aut Ijar Judaicus correspondens nostro Aprili. Ex his autem literis apparet Lyfiam, cum Epistolas illas scribebat Eupator, nondum fuisse in comitatu. Itaq; c. 12, 1. profectus ad Regem dicitur.

XIX. Post primum illud foedus pacemq; à Lyfia factam & à Rege Eupatore confirmatam Judas Maccabæus multa strenuè gessit, quæ 2. Maccab: 12. narrantur & anno integro peracta nempe 149. prioris æræ cum posterioris æræ anni 148. 6. menses totidemq; de anno 149. decurrunt: donec anno ineunte 150. prioris æræ, labente verò posterioris adhuc 149. Judas arcem

Sionis obsedit 1.1. Maccab. c. 6, 20 Sed Antiochus Eupator cum Lyfia supervenit, quo cum Judas pugnavit. Cum verò Lyfias audisset Philippum adventare, Autor Regi fuit, ut obsidione Hierosolymæ relictâ cum Judæis pacifceretur v. 57. & seq. Contigit hoc anno 150. prioris æræ 1. Maccab. 6, 20. posterioris exeunte 149 vel ineunte 150. Sabbathico itidem exeunte. Eadem porrò conflictus historia, quæ 1. Maccab. 6. describitur (in quo Eleazari cujusdam virtus enituit, à quo Regis Elephantus interfectus est, à v. 43. & seq.) narrantur & 2. Maccab. c. 13. etsi de Eleazaro nulla isthic mentio, cætera tamen respondent.

XX. Ex his concludit Petavius certissimè constare pacem illam, quæ 1. Maccab. 6. inita dicitur, eandem cum eâ esse, quæ 2. Maccab. 13. v. 23. describitur, & ita diversam ab ea, cujus 2. Maccab. II. mentio fit. Et ita priorem librum Maccabæorum cum posteriore ratione temporis convenire. Ita ille, appositè satis & accuratè.

XXI. Antequam hinc abeamus, nonnulla hic inferenda sunt ad meliorè intellectum librorum Maccabæorum pertinentia. Primum, Titulum & Inscriptionem librorum concernit: Nominantur libri *Ματθαιου* à personis. Matathias Sacerdos ex familia vel Ephimeria Joarim seu Joarib tempore diræ illius persecutionis sub Antiocho Epiphane vivens suos, quos habebat, filios ad constantiâ & patriarum legum observantiam & patriæ libertatem asserendam paternè & animosè adhortatus est, & inter suos filios Judam in belli Ducem confirmavit. Mortuus autem est Matathias anno 146. Græcorum. Totam historiam vide 1. Maccab. 2. Fuerunt autem tres fratres egregij asser-  
tores

tores patriarum legum & libertatis Juda. Ionathas, Simon. Hi dicti sunt *Μακκαβαίοι*. Quæ sit appellationis ratio non convenit. Nonnullis placet Maccabæos illos bellicis vexillis inferibi curasse 4. literas initiales ex 4. vocibus Exod. 15, 11. *וַיִּמַּח בְּאֵלִים יְהוָה* Quis sicut tu in Diis Jehovah *מַכָּבִי* ex hac vexillorū inscriptione, & à popularib⁹ & ab exteris omnibus vocatos esse Macabæos vel geminato *מַכָּבִי* Maccabæos. Quanquam alii vocem *מַכָּבִי* Etymologicè derivent à *כָּבַח* q. d. *extinctorem, sive exterminatorem*, puta hostium.

XXII. Secundum Appellationis rationem enumerat. Prior nominatur *πρωτον*, posterior *δευτερον*, minùs commodè. Posterior enim Maccabæorum tempore prior est priore libro. Finit enim Historiam tempore Judæ Macabæi adhuc viventis. Prior verò Maccabæorum continuat Historiam ad annum usq; emortua-lem Simonis Maccabæi & initium Johannis Hircani ad annum usq; 177. Alexandream 1. Maccab: 16. v. 14, 16, 23 Primus ergo Maccabæorum est prior *ordine non tempore*. Quà de re B. noster Lutherus in præfatione, in posteriorem Maccabæorum ita scribit: *bis heisset vnd sol seyn das ander Buch der Maccabeer / wie der titel anzeiget / aber das kan nicht recht seyn / weil es etliche Geschichte meldet / die vor des ersten buchs Geschichten geschehen sind / vnd nicht weiter kommet / denn auff den Judam Maccabeum / das ist bis in das 7. Capitel des ersten Buchs. Daß es billiger das erste denn das ander solt heissen. Man wolt es denn heissen / ein ander Buch vnd nicht das ander Buch Maccabæorum, Alium, vel alienum scilicet, non secundum.*

XXIII. Tertium circa Librorum comparationem occupatum est. Prior Maccabæorum historicâ planè

B 3

fide

fide conscriptus est, & quidem ordinatè secundum temporum seriem. Orditur enim Historiæ seriem ab anno 137. Græcorum seu Alexandreo, quo tempore Antiochus Epiphanes in Syria regnare cœpit 1. Maccab. 1, 11. finit in anno 177. quo Simon Maccabæus dolosè occisus 1 Maccab: 16. v. 14, 15. 16. Cōplectitur ergò Historiam 40. annorum interrupta & historicâ plane serie, ex quo Josephus maximam partem desumpsit, quæ de Maccabæis & annis Alexandreis refert. Insignem præterea utilitatem prior Maccabæorum in Chronologicis habet, eò quod anni Alexandrei cum annis Sabbathicis; sint concatenati. Quæ concatenatio insignem nobis usum Chronologicum præbet circa Chronologici systematis confectionem. Quâ de re suo loco actum.

XXIV. Posterior verò Maccabæorum longè inferioris conditionis est, imò & in dogmatibus & circumstantiis temporis suspectus. 1. finit Historiam in morte Nicanoris, ducis Demetrii, qui in bello cum Juda Maccabæo victus periit Anno 151. Græcorum. 1. Maccab. c. 7, 1. 43. 49. cap. 9, 1. 2. Maccab. 14. v. 41. Cap. 15. v. 28, 37. Contra 2. Maccab. 1. fit mentio 169. item anni 188. v. 7. & 10. quæ hæc temporis trajectio? 2. Centonem habet ex variis scriptis consarcinatum. 3. duæ illæ Epistolæ Cap. 1. & 2. ad libri argumentum non pertinent. 4. In posteriore Epistola multa sunt fabulosa de inventioe præsertim sacri ignis à v. 19. primi capituli & seq. De quo miraculo neq; Sacrorum neq; Apocryphorū ullus præter hunc: neq; Judæorū, neq; gentiliū libri tradiderunt, etsi Judæos exollendæ gentis suæ adeò studiosos non est credibile fuisse rem tantam perdituros silentio. Contra vulgatum est in Judæorum libris & commentariis inde à deportationis tētempore gloriam DEI, arcam &c. desiderata fuisse. In libro Esræ Cap. 2. legitur Judæos statim post reditum ex Babylonia exstructo altari DEO sacrificia & holocausta obtulisse longè ante adventum Nehemiæ in Judæam. Quali verò igni tum sunt usi? 5. In priore parte Capituli secundi iterum plurima fabulosa continētur, quæ ne impudentissimi quidem Judæi accepturi sunt, apud quos vulgò dictum est, nusquam arcam DEI extitisse.

XXV. Cap.

**XXV.** Capite 2. v. 20. verum demum principium habetur huius libri una cum argumento, ex quo apparet, Autorem huius libri Epitomen confecisse ex diffusis libris quinque Iasonis Cyrenæi, quis ille fuerit, & quâ fide Historiam perscripserit ignotum est v. 17. Conqueritur de laboris difficultate, aucupatur privatam gloriam &c. Hæc non sunt humanitatis, sed arrogantia. Præterea sub finem libri 15. v. 39, 40. petit scriptionis veniam. Hæc & alia taliter sunt comparata, ut maximè Autoris ingenium merè humanum satis superq; appareat.

**XXVI.** Cap. 12. v. 43. & sequ. laudantur sacrificia oblationes deprecationes pro defunctis, quod è Diametro contrariatur Mosaicæ legi, imò nullum exemplum sacrificij pro mortuis in tota Canonica scriptura veteris Testamenti ostendi potest. Cap. 14, 17. & sequ. Commendatur quidam Razin, qui sibi violentas manus intulit, cum Salomo eos sceleratos vocat, qui sibi ipsis vim inferunt Prov: 24, 8. & DEUS in Decalogo præcipiat, ne alios occidamus, multo minus nos ipsos. Hinc Augustinus l. 2. contra Gaudentii Epistolam Cap. 23. Tom. 2. istam Razinæ mortem mirabiliorem, quam prudentiorem (quemadmodum facta esset non tanquam facienda esset) Scriptura laudavit. Nostrum est autem, sicut Apostolus admonet. 1. Thessal; 5. omnia probare quæ bona sunt, retinere, & ab omni specie mala nos abstinere. Et hanc quidam scripturam, quæ appellatur Maccabæorum, non habent Judæi sicut Legem, Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis dicens: Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, Prophetis & Psalmis de me. Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur & audiatur maximè propter illos Maccabæos qui pro Dei lege sicut veri Martyres à persecutoribus tam indigna atq; horrenda perpressi sunt, ut & hinc populus Christianns adverteret, quoniam non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; Hæc ille. Hinc Gelasius etiam cum LXX. Episcopis unum tantum Maccabæorum recipit.

**XXVII.** Præter duos hosce Maccabæorum libros & tertius numeratur, quem tamen B. Lutherus Germanicis Bibliis inferere noluit. Hic liber titulum habet *Simeonis sacerdotis summi* & insignem Historiam exponit de gravissimis calamitatibus, quas Ecclesia Judæorum à Ptolemæo Philopatore Ægypti Rege per-

peffa est, & miraculosa liberatione à Deo præstita. Historia est pauci temporis gesta sub annum quasi quartum *Antiochi Magni* Regis Syriæ. Ratione ergo temporis hic tertius *Maccabæorum*, omnium esset *primus*, cum historiam contineat gestam anno Græcorum 96. quo tempore duo illi Reges regnarunt *Ptolemæus Philopator* in Ægypto, *Antiochus & Magnus* in Syria.

XXIIX. Id accuratam meretur observationem, quod hæc Epochæ annorum Græcorum cum annis Judæorum Sabbathicis sit concatenata 149. Græcorum 1. *Maccab.* 6 & 177. apud *Josephum* lib. 13. Cap. 15. lib. 1. bell, c. 2. Dividantur hi duo numeri per septenarium, remanet binarius, qui indicat, annum primum Græcorum incidisse in sextum *ἑβδωμάτης* seu à celebrato Sabbathico & conseq. ad annos 149, 177. quinarius addendus. Hoc factò uterq; numerus per septenarium divisus absorbetur. Ita annus obsidionis Hierosolymitanæ per Herodem annus est Sabbathicus, *Josephus* lib: 14. Antiqui Cap. 28. Annus est *Alexandri* 275. addito quinario fiunt 280. & hic numerus per septenarium divisus absorbetur. Quæ concatenatio magnum usum habet in mutua variarum Epocharum inter se connexionem.

XXIX. *Quartum* circa originalem textum primi libri *Maccabæorum* occupatum est. *Scaliger* l. 5. de T. E. cap. de primo anno *Chaldæorum* opinatur priorem *Maccabæorum* conscriptum esse Ebraicè, magnoq; ejus desiderio tenetur. Ejus verba sic habent; *Prius volumen Maccabæorum Hebraicè scriptum fuit ab Autore. Eximium opus, ex quo omnem Maccabæorum historiam hausit Josephus. Utinam ipsum Hebraicum extaret! Iam diu est cum perit, cum ejus ne nomen quidem inter Iudæos supersit, qui Historia Maccabæorum mendosissima utuntur.* Hæc ille. Verum non immeritò dubitatur, num prior *Maccabæorum* unquam Hebraicè conscriptus sit. Qua in re doctioribus ventilationem & discussionem committimus. Hac occasione eruditas quoq; *Drusii* observationes in historiam *Maccabæorum* lectori commendamus.

XXX. Tandem firmis argumentis tum Astronomicis, tum Historicis demonstrandum & probandum esset, hanc Epocham cœpisse non à morte *Alexandri M.* Sed ab eo tempore, quo *Seleucus* suo capiti Asiæ Diadema ut Rex imposuit, anno 12 post mortem *Alexandri M.* Hunc verò laborum differimus in aliud tempus.

Μὲν τῷ θεῷ δόξα.